B. N. C
FIRENZE
1085
34

1085.34

5. 34

Questi, etc

VII 15

MVRT

1085.34

GASPARIS MVRTVLAE

I. C. Genuenſis,

NVTRICIARVM ſiue Næniarum

LIBER.

ILL.MO ET REVER.MO

D. Iacobo Serræ

R. Cam. Apoſtol. Clerico.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1879

TAVRINI. Apud FF. de Caualerijs.

Superiorum permiſſu. 1626.

1085. 34

ILLVSTR.^MO.

Et Reuer.^mo.

D. IACOBO SERRA

Apoſtolicæ Cameræ Clerico.

DVO me Illuſtriſſime Serra ad iſtas Nænias olim exaratas in lucẽ edendas, tibiq; dicandas aduertunt, vnum quòd auctoritas tua grauiora repoſcat, nec liceat te bellis, & tubarum clan-

goribus aſſuetum iſto crepundiorum ſono delinire. Alterum quòd ſtudiorum meorum rationes iſtam iocorum infantiam minimè deceat, exiſtimationemq́; meam non parum diſpendij facturam eſſe, ſi ludicra iſta quodammodo per manus hominum videantur. Verum quod ad rem meam facit exiſtimationi meæ iniuriã haud facturum exiſtimaui, ſi talia in cunis nata è Cunis egrederentur, ſunt puerilia, fateor, ideo gratiora; ſunt leuia quidem, ponderis tamen habent in arte. Non exigui oratoris eſt exigua pro dignitate commendare, non minus admirata eſt antiquitas amorẽ dormientem à Protogene depictum,

quam

quàm Apellis fulminantem Alexandrum, non minus laudis conſequetur in proſcenio ex audientium voluptate. Puer dicaculus feſtiuus, hilaris, & ad proteruiam natus, quàm ſenex ſupercilio minax, & verendus.

Accedit doctiſſimorum hominum auctoritas, qui de rebus leuiſſimis, quandoq; non leuia ſcripſere. Murium, & Ranarum pugnam Homerus effinxit, de Culice Virgilius carmen dixit, Cicadam, & Hirundinem in ſuauem Anacreon, ſuaui carminum elegantia dulcem, & ſuauem reddidit, Pryx ille in cuius deformi corpore, tàm pulchra habitauit virtus, quibus artibus philoſophiæ

ſuæ fundamenta iecit? Puerilibus nugis. Aquilam philoſophantem induxit, Vulpem vitæ præcepta tradentem, Leonem reges inſtituentem, mulierculam, quid nænijs annuentem? Fallaces homines; facit ad auctoritatem, quòd eodem genere ſcribendi vſus Ioannes Iouianus Pontanus ingenij fæcunditate Leoninis temporibus facilè primus inter tot ſuæ immortalitatis monumenta plurimum in hoc gloriæ conſequutus eſt. Hæ rationes Illuſtriſs. Præſul, ad has Nutricias dicendas alacriter me impulerunt, quòd ſi tàm leuia non licere, quiſquã arbitretur tibi dicare, qui modo in Pãnoniã modo in Boemiã Nuncius

modo

modo in Emiliam, ac in illo Pontificum inter regno, comitijs Cardinalium Præſes declaratus fuiſti, longe ille fallitur. Iuuat enim interdum grauibus inania miſcere. Socrates quem ſapientem credidere harundine pro equo cõſenſa luſit vna cum puerulis, Ageſilaus Lacedemoniorum Rex fiſtulam inter pueros labris, & dignitis diſcurrebat, Affricanus ille vna cum Scipione Lapillos in Baiano Littore colligebat, Marcus Tullius forenſibus negotiis inuolutus in Tulliola ſua veuuſta infantula exuto mœrore animi animum alacriorem induebat & quis deinde talem nobilitati tuæ, & illi qua polles humani-

tate notam inurat? Accipe igitur puerilia iſta quæ ſi legi à te ſenſero velut Traſea Cornelianus agno ſcant homines dicam quantum in maximis valeas, qui leuioribus iſtis animum applicaſti, &c.

INVITAT SOMNVM
Nænia prima.

DVM vagit mea pupa, mihi dum bellula vagit,
Hos ad uagitus blandule ſomne veni.
Dum ſibi lacrimulis teneros corrumpit ocellos,
Has ad lacrimulas blandule ſomne veni.
Dum mihi ſubmordet mammas, dum crudula mammas,
Prenſitat, ad mammas blandule ſomne veni.
Dum mihi ſubridet tenero mellita labello,
Hos ad ſubriſus blandule ſomne veni.
Huic dum Naniolam canto, dum Nania nanna.
Has ad Naniolas blandule ſomne veni
omne veni, pulchelle veni, mellitule ſomne,
Somne puellarum dulcis amice veni.

BLANDITVR PVERO
Nænia II.

IVNICE bracchiolum collo puer, inice & cri
Blanditias facias bellule Pupe meo.
Blande meus pulchelle meus, mellitulle, da mi
Baſia mille oculis, baſia mille genis.
Blanditias en ipſa tibi mi Pupule blandas
Reddo, blanditias accipe belle meas.
Blanditias age, & ipſe mihi mi Pupule blandas
Effice, blanditias en cupio ipſa tuas.
Blande meus, pulchelle meus, mellitule, da mi
Baſia mille oculis, baſia mille genis.
Pupe meus, pupille meus, mellitule Pupe,
Deliquium cordis blandule Pupe mei.

PAPILLAM COMMVTAT
Nænia III.

SVxiſti ſatis hanc, aliam modo ſuge papillam
Pupula & in gremio pulcra quieſce meo,
Vna papilla tibi haud ſatis eſt, manet altera (ſuge,
Suge aliam, mammas pupula ſuge duas.
Lacte grauis tumet iſta, leuis iacet iſta, tumentem
Exprime, & in venas pupula conde tuas,
Sed videas auido, cum totam expreſſeris ore,
Vt condas oculos tunc bona Pupa tuos.

BLANDITVR, ET IOCATVR
Nænia IIII.

TVrgidulas cui Pupa dabo, cui pupula mammas
Numue tibi Aſcani, numue Iſabella tibi?
Pupa Iſabella mea es, ſed es hei mihi crudula pupa,
Sed gemis in gremio crudula Pupa meo.
Non ſic Aſcanius, ridet, ſugitq́ papillas
Blandulus, & totus mclleus ore puer.
Has habeat puer ergo meus, ſit pupulus ille
Dormiat in gremio blandulus ille meo,
Sed facit inuidiam illa tibi, dabo vtriq́ papillas,
Et tibi mi Aſcani, & bella Iſabella tibi,
Hæc Iſabella tua eſt, Aſcani hæc altera, vterq́
Has premat, & gremio ſurgat vterq́ meo,
Imo Iſabella mihi has ſolum mellitula ſugat,
Quid puer Aſcanius, quid puer iſte mihi?
Tu ſolum mellita mihi, tu bellula pupa
Tu mea lux, ſolum, tu mea vita mihi.

Suſcitat e ſomno, & porrigit papillas
Nœnia. V.

D*ORMISTI ſatis, exilias modo pupula lecto,*
Dormiſti, mammas pupula ſuge meas,
Quàm cupis illarum, dextram, magis an ne ſiniſtram?
Lacte grauis dextera eſt, lacte ſiniſtra grauis.
Dextra magis tumet, ad lactes mihi pupula dextra,
Turgeſcat grauior mane ſiniſtra tibi.
Forſan vtramq; cupis, capias mihi pupula vtrãq;
Hæc mihi pupa tua eſt, hæc mea pupa tua,
Sed cum non valeas vnam niſi ſugere, molli
Dexterula foueas candida pupa aliam.

Iocatur, & nequitias facit,
Nænia. VI.

T*ANGERE lacteolas etiam tibi pupa papillas*
Ipſa volo, ſi vis tangere pupa meas.
Tango tuas ego; tange meas tu, tu ne papillas
Tu ne tuas renues crudula, tu ne tuas?
Ah ne tange meas, quid cum his tibi pupa papillis,
Quid tibi cum gremio, quid tibi pupa meo?
Aut concede tuas, aut has ne tange, lubenter
Ipſa meas tradam, ſi dabis ipſa tuas.
Tango tuas, age tange meas, mihi bellula tange,
Suge meas potius pupula, ſuge meas.

Vagientem corripit, & blanditur Nænia VII.

QVID deflens mihi pupa premis, quid pupula mammas.
Quid ſcindis digitis vbera pupa tuis?
Mitte manu tractare meas mihi pupula mammas,
Nolo tibi mammas tradere pupa meas.
Erminia Erminia has habeat belliſſima pupa
Illa eſt, & miri mitior ore cubat.
Ipſa ſibi facili componit lumina ſomno,
Ipſa ſuo faciles concipit aure iocos
Non vagit, non ſæua gemit, non crudula mordet,
Vt tu tu mammas crudula pupa meas.
Sed nec tu mordes, nec tu mea pupula vagis,
Nec cadit ex oculis guttula amara tuis.
Sed rides, rutiloq; inhias mihi bella labello,
Sed nitet in tenero plurimus ore iocus
Sic facias mea ſtella, tuas cape Pupula mammas,
Quis renuat mammas, vbera quiſue tibi?

Iraſcitur in rennentem Baſia Nęnia VIII.

OSCula quid renuis dulci mihi pupa labello,
Quid fugis amplexus pupula auara meos?
Sic me deludis, ſic mi te ſubtrahis ah ah,
Veh mihi, Veh pœnas improba pupa dabis,
I' minus ipſa tuos complexus pupula quæro,
I procul, amplexus pupula nolo tuos.
Inueniam inueniam mihi, quæ dabit oſcula pupam
Inueniam faciet, quæ mihi blanditias.
Pupa vale, mala pupa vale, turpiſſima pupa,
Pupa puellarum crudula, pupa vale.

Mor-

Mordentem papillas corripit
Nænia VIII.

SVgis pupa animam, non lac, dum cruda papillas
Mordes ore meis pendula ab vberibus,
Es nimium ſaua, heu nimium es mihi crudula pupa,
Heu dura eſt nimium, hæc pupula durities.
Imple oculos teneros molli nunc pupula ſomno,
Imple oculos mollis, mollior imple genas
Ille facit pupas bellas, facit ille rubentes,
Lacteolaſq; magis blandior ille facit
Sugis adhuc, crudelis adhuc, mala pupula quid mi,
Quid mi cor ſugis, quid mihi pupa animam.
Suge animam pulchella meam mellitula ſuge,
Quis tibi cor renuat, quis tibi pupa animam?

INVITAT SOMNVM.
Nœnia X.

SOmne veni, tremulis nictat tibi Clelia ocellis,
Somne veni venias blandule ſomne veni.
Aduentu bone ſomne tuo ſua lumina condet,
Compeſcet gemitus te veniente ſuos
Tu mentes hominum mulces, tu pectora ſomne,
Dulcia iuq; animis otia ſomne refers
Te vir ſomne cupit te fœmina blãdule ſomne,
Te ſomne, & iuuenes, te quoq; ſomne ſenes
Tu facis aureolos pueros dulciſſime ſomne,
Tu pupas blandas blandule ſomne facis,
Huc igitur bone ſomne veni, mellitule ſomne.
Dormiat aduentu bellula Pupa tuo
Veniſti bone ſomne, ſuos en condit ocellos,
En condit genulas blandula pupa ſuas.
Somne vale, bone ſomne vale, ſomne optime, ſomne
Nannarum inuentor, blandule ſomne vale.

Alli-

ALLICIT SOMNVM
Nænia. XI.

SOmniculum captes iſto mihi pupula lecto,
Somniculum captes hic Iſabella mihi.
Somniculi eſt vna hora ſatis, tibi ſufficit hora,
Ah captes hora pupula ſomniculum
Somnulus ecce venit, venias bone ſomnule, ſomne
Somnule blandidule, blandule ſomnicule.
Ah nec ſomniculum captes, ſed pupula ſomnum,
Nil bonus iſte tibi pupula ſomniculus.
Somniculus breuis eſt, longum cape pupula ſomnum
Qui mane incipiat, veſpere deficiat.
Somne veni, bone ſomne veni, longiſſime ſomne,
Somne diurniuage, ſomneq; noctiuage.

Compeſcit fletus, & blanditur
Nænia XII.

VNde meũ cor tot lacrimæ, vnde vnde tot ĩter
Rupti ſingultus, bellula pupa tibi?
Num fuit Erminia, iſtos qui tibi Pupula
Excuſſit, Ductrix num fuit Erminia? (fletus
Erminia Erminia, ah tantum es tune auſa petamus
Illam, hac hac tibi habe verbera, & hac tibi [habe
Heu gemit Erminia, heu luget, quariturq; miſella,
Et feciſſe mali nil ait illa tibi,
O miſerã Erminiam, blandire huic pupula blande
Non fuit Erminia, heu non fuit Erminia,
Gracculus ille fuit, qui te mea pupa momordit,
Quiq; malum fecit Gracculus ille fuit.

Excitam ſomno admiratur, & illi blanditur,
Nænia XIII.

QVAENAM pupa illa eſt: quænam: quæ mi excita ſomno
Luſitat è cunis pupula bella ſuis?
Num pupilla mea eſt, mea num mellitula pupa,
Num ſpes, num vita eſt, numue Iſabella mea,
Ipſa ipſa eſt, ah quidquid ſic mi pupula rides,
Quid ſic ſubrides pupa proterua mihi?
Conde illos oculos, nolo me pupula ſpectes,
Illas pupillas pupulā conde tuas,
Subſilit en cunis tota, en mi extra exilit, vlnas
Vt complectatur lactea pupa meas,
Pupa veni, mea pupa veni, complectere matrem,
Curre age in amplexus, curre age pupa meos,
Bella veni, mellita veni, mea ſtellula, quæſo veni,
Quam mihi mollicula ès quam mihi dulcicula?

EXITAM SOMNO CORRIPIT
Nænia XIV.

QVID mi tam manè expercta es, quid pupula, quid mi,
Quid mi tam mane heū pupula lacrimulas? (dormi,
Dormita adhuc mea vita parum, mea ſtellula
Dormi auge pauxillum dormi Iſabella parum.
Mane ſolent dulci ſomno dormire puellæ,
Mane ſolent iuuenes, & quoq; mane ſenes.
Mane etiam pueri meliori ſtertere ſomno,
Mane etiam pueræ pupula mane ſolent.
Immo magis dormire. ſolent dormi optima ſomno
Mane magis blando, pupula mane magis
Mane decet iuuenes primo expergiſcier ortu,
Surgure poſt nuptas pupula mane decet.
Poſt agros mea pupa ſenes, poſt pupula pupos
Poſt heu pupillas, pupula blandidulas.

Com-

Compeſcit lacrimas, & blanditur Nænia. XV.

COmprime lacrimulas, non turpem pupula dixi,
Non turpem teneras comprime lacrumulas.
Erminia dixi, Erminia, illa eſt pupula turpis,
Illa mala eſt, illa eſt, comprime lacrumulas,
Cara mihi es, laudata mihi es mea ſtellula, quin es
Aurea tota mihi, mellea tota mihi.
Pulcra mea es, pulchella mea es, pulcherrima pupa
Blandula tota mea es, bellula tota mea es.

Vagientem corripit, & deterret. Nænia. XVI.

QVID vagis mea pupa mihi, quid bellula vagis?
Turpeſcis lacrymis heu mea pupa tuis.
Sunt turpes pupa lacrymis, quæ lumina turpant,
Et lupus in cunis deuorat vsq; ſuis.
Te ne igitur turpem facies, quæ bellula pupa es?
Te ne lupus cunis deuoret vſq; tuis?
Ecce venit, venit ecce vides, quali ore, quibuſq;
Dentibus, & quali gutture ſæuus hiet.
Ore vorax vlulat, ſentin' quales vlulatus
Ah ſileas ſileas, ne geme, ne doleas.
En venit heu miſeram, ſileas, age pupula, dormi
Te condas gremio crudula pupa meo. (mi
Dormit pupa mea, hinc fugias mala bellua, quis
Quis velit heu pupam ſubrepuiſſe meam?

ALLICIT AD SOMNVM Nænia. XVII.

QVAE veſtrum prius obdormit, num tu Clelia, bellis
An prius ipſa oculis bella Iſabella tuis?
Naniolum ambabus canto, da Nania nannas,
Blandule ſomne veni, ſomnule blande veni.
Vtraq; bella cubat, Nannas da Nania nannas,
Somnule blande veni, blandule ſomne ueni,
Sed prius ipſa ſuos ſubducit Clelia ocellos,
Ah prius ipſa oculos claude Iſabella tuos.
Tu prius obdormi, nannas da Nania nannas,
Blandule ſomne ueni, ſomnule blande ueni.
Tu prius indulge ſomno, da Nania nannas.
Blandule ſomne ueni, ſomnule blande ueni,
Vicisti mea pupa prius, tu lumina ſomno,
Clauſiſti, dormis tu mea pupa prius.

Allicit donis ad dormiendum. Nænia XVIII.

SI mea ſe facilem præbibit pupula ſomno
Hoc crepundiolum bellule ſomne dabo.
Si ſine iactatu cuna ſua lumina condet.
Blandidulam uolucrem blandule ſomne dabo,
Si ſine Naniola mihi laſſula dormiet, illi
Aureolum catulum bellule ſomne dabo.
Si ſine lacrimulis blandos ſubducet ocellos
Millia bella illi bellule ſomne dabo.
Audijt illa ſuos, nitidos en claudit ocellos,
Orbibus en nitidis conniuet illa ſuis.
Somne veni, bone ſomne veni, pulchellule ſomne,
Conniuet in cunis ſomne age, ſomne veni.

Vbera

Vbera porrigit. Nænia XIX.

VBera ſuge puer dulci turgentia lacte,
Quæ tibi nudo libens vbera ſuge puer,
Sunt tua, tota tibi nudantur bellule pupe,
Eia age, quid ſpectas vbera ſuge tua.
Reſpuis ipſe meas nudatas pectore mammas
Improbe num mammas reſpuis ipſe meas?
Hac Iſabella tibi, dulcis nudo ubera lactis,
Curre age in amplexus curre Iſabella meos.
Sunt tua, tota tibi nudantur bellula pupa,
Eia age, quid ſpectas ubera ſuge tua.
Prenſitat ah dextra mammas puer inuidus, ah ne,
Ne tangas mammas inuide pupe meas.
Quin mammas ſugit, ſtringit ſibi prouidus illas,
Et uigiles oculos, ne rapiantur habet.
Neue Puer timeas, tua ſunt hac ubera lactis,
Suge tuas mammas, ubera ſuge tua.

Inuitat ad dormiendum. Nœnia XX.

VEſper adeſt, iam ueſper adeſt, age lumina ſomno
Condas in cunis pupula, ueſper adeſt.
Veſper agit ſomnum, dormiſcas ueſpere, ſomnum
Concilies oculis ueſpere pupa tuis.
Veſpere conniuent oculi, nictantq; cadentes,
Veſpere ſunt ſomno lumina uicta graui.
Veſpere dormitum tendunt, iuueneſq; ſeneſq;
Veſpere dormitum uir mulierq; ſimul.
Veſpere dormiſcunt pueri, tenereq; puellæ,
Veſpere dormiſcunt puſioli, & pueri.
Veſpere tu tantum cunis dormire recuſas
Veſpere tu tantum crudula pupa mihi.
Veſpere dormiſcas, ah dormi ueſpere pupa
Veſper agit ſomnum, ueſpere ſomnus adeſt,
Somne ueni, bone ſomne ueni, placidiſſime ſomne,
Mane ueni, ah dixi ueſpere ſomne ueni.

Blan-

BLANDITVR IN ISABELLAM Nœnia. XXI.

Bella mihi tota es, bello mea pupula uultu
Bella mihi tota es bella Iſabella mihi.
Bella ſunt genula belli ſunt pupula ocelli,
Belli Cincinni. bella labella tua hæc.
Bella manus, belliq́ pedes, frons undiq́ bella,
Auricula bella, cruraq́ bella tibi,
Et belle rides, & lallas pupula belle,
Et belle mammas, & mihi bella tatas.
Bella etiam dormis, ſed non tamen omnia belle.
Cum gemis, aut uagis pupula bella facis.

Oſculatur Nænia. XXII.

Oſcula plura uolo, ah non unum ſufficit, ah non
Plurima ne renuas, oſcula, plura uolo.
Me genulis admitte tuis. me pupa labellis,
Me bellis oculis, pupula bella tuis.
Non ſunt pupa tua hæ genulæ, non pupula ocelli,
Non ſunt, non ſunt hæc bella labella tua.
Sunt mea labra, mei ſunt iſti pupulla ocelli,
Sunt iſta genula blandula pupa mea.
Ergo meas mihi pupa genas, mihi crudula ocellos,
Ergo mihi renues bella labella mea.
Non non, tota mea es, te baſio pupa labellis,
Baſio pupa oculis, baſio pupa genis.
Pupa mea es, pupilla mea es, mellitula pupa,
Bellula tota mea es, blandula tota mea es.

Somnum fugientem reuocat Nænia XXIII.

S. Omne fugis, quo ſomne fugis, te ſubtrahis ab te,
Somne redi redeas blandule ſomne redi.
Veniſti ſero. nimium cito ſomne recedis,
Somne redi, redeas blandule ſomne redi.
Clelia non vnam dormiuit molliter horam,
Somne redi redeas blandule ſomne redi,
Non pueris una hora ſatis, non una puellis,
Somne redi redeas blandule ſomne redi.
Multum dormiſcunt pueri, multumq́ puellæ,
Somne redi redeas blandule ſomne redi.
Pubeſcunt ſomno pueri, creſcuntq́ puellæ,
Somne redi redeas blandule ſomne redi.
Non lacrimant ſomno pueri, uagitantq́ puellæ,
Somne redi redeas blandule ſomne redi.

Iocatur. Nænia XXIV.

Q Vos velles mea pupa iocos, quos pupula bellos
Vis ut in auriculis concipiam ipſa tuis?
Num vis pipitus, grandes magis, an ne bubatus,
En tibi pipillo, bubulo en ipſa tibi.
Pipitius magis ipſa cupis, fugis aure bubatus
Namq́ metum facit hoc pupa bubare tibi.
En pipillo tibi, rurſus pipillo, cupitos
Rurſus pipitus, pupula pipo tibi.
Sed quoq́ uis grandes miſceri pupa bubatus,
Haudq́ metum facit hoc pupa bubare tibi.
Miſceo in aure tuis pipitibus ecce bubatus,
En tibi pipillo, bubulo en ipſa tibi.
Hos ſed pipitus inter grandeſq́ bubatus
Ba ba ba pupa etiam Baſia pupa habeas.

IN MARGARITAM Auſtriacam,

HISPANIARVM INFANTVLAM.

NAENIA.

ECquis Næniolam tibi iocoſam
Non cantet mea pupa? blandientes
Quis uoces tibi, cantiunculaſque
Mellitas neget, & lepore plenas?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Tu venuſtior omnibus puellis,
Tu decentior, elegantiorque
Tu tu mellea pupa pupularum
Exemplar ſpecimen, decus uenuſtas,
Tu tu lactea pupa pupulorum.
Maieſtas nitor, aureumque ſydus
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Naſcenti tibi mille pupa amores
Pennas explicuere pulcra circum,
Ora purpureo rubore picta,
Iidemque igneoli, decentuliq;
Te ornauere, iocis, lepore, riſu,
Cultu, blanditijs, elegantijſque
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Naſcenti tibi candidi fuere
Soles, & Tagus aureas arenas:
Magis lucidulus, magiſque gemmans
Mille intexuit igneis lapillis
Quin ex oceano profundiori
Mille munera pulchra concularum
Aduenere tuas puella cunas.

Quia

Quin ex oceano profundiori,
Flexiles ſegetes coralliorum,
Baccæ, & candidulæ rotundolæque,
Dormi bellula pupa pupa dormi.
Talis flammeolo rubens colore
Mane floſculus exerit comarum
Faces roſcidulas, uolatque circum
Apis mellea talis, ebibitque
Aeris pluuias ſerenioris
Aeris pluuias tepentioris,
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Talis lucifer exiens eois
Pingit luteolo colore Cœlum
Pingit purpureo rubore terram
Pingit cæruleo nitore pontum
Diues murice pulcriore, & auro.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Tibi nobilitas adeſt Auorum
Per multos numerata pupa reges.
Tibi purpurea Ducum Tiara,
Tibi conſpicua Ducum ſecures
Tibi laurigeri Ducum triumphi
Venuſtas tibi Regia eminenter
Vertici aureolas parat coronas.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Cœlum diuitias ſuperbiores
Tibi pupula tradidit, nitentes.
Tibi blanditias crepundiorum.
Tibi faſciolas potentiorum
Tibi linteola aureis acantis
Clara lucida, blanda, bracteata
Tibi lintee pupa, quæ ferenda
Manus Pontificis dedit beata,
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Immo diuitias beatiores

Cœlum

Cœlum pupula tradidit decenter
Illaſque impoſuit tua uiderdas
Fronti eburneola, uenuſtolaque,
Illaſque impoſuit tua colendas
Fronti lacteola, tenellulaque.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Hac tibi tremulo refuſa lacte
Pandit Areolam vndiq; expolitam s
Hac tibi niueis patens pruinis
Pandit Areolam vndiq eminentem,
Eandem, & facibus ſereniorum
Syderum, nitidam, leuem, & pudicam.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
O qua Cæſaries refulget auro
Circa tempora, penduluſque manat
Hinc cincinnulus, implicatq; in orbes
Simul, ſe in varios, eleganiuloſque?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Non ſunt hi nitidi tui capilli
Pupa blandula, qupa mollicella
Cincinnatula pupa, delicata,
Sed angues potius venuſtiores,
Qui ad ſolos renouant ſe occellulorum,
Sed vincla innumeris referta vinclis.
Reuinctura ſuperba corda regum.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
O Quam molliculi, decentulique,
Non ſic pluma nitet columbolarum
Non ſic mollities lepuſculorum,
Non ſic blanditia cuniculorum,
Non ſic ſerica fila lanularum
Pingit Murice, qua tiros rubenti.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Quis non aſpiciat tuos ocellos
Inde regia pupa? quis nitentes?

Orbes, & teneros amoris ignes
Illos dulciculos amoris ignes
Pupa mellea pupa, qui perurunt
Mi praecordia, qui mihi medullas
Abſorbent rapiunt, ſuo calore
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Sunt hi flammeoli quidem, & nigella eſt
Horum pupula pupa, ſed uidentur
Cœli ſydera bina non ocelli
Cœli lumina clara, clariorque
In illis reſidet, lepor uenuſtas
Splendor aureus. aureuſque fulgor
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Quin nec decipior, duo Piropi
Sunt hi lucidoli duæque Amoris
Stellula mea pupa, ſunt gemellæ
Faces, quæ exilarant profundiores
Pectoris tenebras malaſque curas
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Dormi, & tu bone ſomne ne moreris
Pupa claudere blandulos ocellos,
Veni blandior, ampliuſque apertis
Illam haud luminibus ſinas cubare
omnium lacteolas decet puellas,
Vt creſcant, ueniantque, pulcriores
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Huc papauerulis reuinctus adſis
Somne, huc pallidulos gerens amictus
Stellulis nitidos gerens amictus
Et uirgam manibus ſoporientem.
Vt hac pupula, te ſuo lubenter
Lectulo excipiat, ſinuque blande.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Ah ſit ſomne ſatis patrem tot inter
... orbis habere ſæpe noctes

In

In ſomnes, uariiſque conuolutum
Bellis euigilare ad arma ad enſes.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Veni blandule ſomne, claude ocellos
Quin tu blandula pupa claude ocellos
Illos ebriolos puella ocellos
Dulces flammeolos, loquaculoſque
Adurunt animum ſuo rotatu
Si neſcis, rapiuntque, ſubtrahuntque
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Hic namque innumeri greges amorum
Spectantur mea pupa luſitantes.
Hic namque innumeri Cupidinilli
Spectantur mea pupa nidulantes,
Illos en video pharetrulatos,
Illos en video aureis ſagittis.
Mi prӕcordia pupa vulnerantes
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Dormi crudula, ne velis tueri
Me, ne pupula fixiore ocello,
Quin vos lumina fixiore ocello,
Illius genulas videte pulcras,
Illius genulas puellulares
Lactentes genulas puellulares
Dulcis flammeolas genas decentes
Molles lacteolas genas rubentes,
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Hic venas minium rubentiores,
Hic oſtrum radios pudentiores
Hic ver floridulum ſuos ocellos
Florum detegit, hic hyans Hyacinthus,
Hic narciſſinus ardor, hic roſarum
Delicatula purpura ſcit ӕtas.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Erquis baſia? quis roſis tuis non

Dabit florida pupa? pupa flore
Roſa pulcrior, elegantiorque
Pupa gratior omnibus Hyacinthis
Pupa blandior omnibus cupitis
Florum ſideribuſque, ocelluliſque.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Vobis baſia trado grata, vobis
Roſa lacteola roſa venuſta
Roſa virgineo pudore plena
Ne mi vulnera, ne mihi dolentes.
Spinas flammeola roſa paretis.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Rides, & foueam genis tenellam
Detegis lepidamq; blandulamque,
Ride bellula, ride, baſiari
Te volo mea ſtella, corculumque
Te meum volo, ſicque baſiari
Te volo & foueam tuam tenellam,
Vt implere velim, velimque longa
Genas ſuggere baſiatione,
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Et quales trahitis moras amoris
Labra? baſia tradite, oſculorum
Hic hic agmina defluant, parumque
Mille, o labra uidentur, ore mille
Rurſus addite, nec ſatis videntur
Mille iungite mille mille mille,
Et tot millia mille, ut aſtra uincant;
Vt concas numero rubentiores,
Vt guttas numero minutiores,
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Sed partem quoque mille baſiorum
Illius capiant labella bella
Illius capiant labella blanda
Blanda labra, pudica, mollicella

Molli-

Mollicellula labra, purpurina
Succi plenula labra, baſiorum
Sedes eſt ubi mellea, ubi leporum
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
O quam dulcia, quamue delicata,
Non ſunt pupula, non labella bella hæc.
Quæ deoſculor ore, baſiorum
Sed magis bibula dua rubentes
Pupa ſpongiola, magiſque bina
Sunt conchilia Margaritularum
Sunt coralia rubra, cellulæque
Vbi mel, ubi parua turba amorum
Rorem conficit ore, ſaccarumque
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Talis forſitan adfuit Lacena
Cum pulchellula, cumque paruulilla
Cum gemmatula tota; tota pulcra
Viſa eſt igneolo nitere uultu
Formoſiſſima pupa pupularum
Dormi bellula pupa pupa dormi.
Talis forſitan aureis in undis
Fuit Cipria, patuloſque ocellos.
Habebat rubicundula, & nitentes,
Tunc cum pupa fuit; fuitque uultu
Præſtantiſſima pupa pupulorum
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Sed cur lacrumulis tuis miſella
Vexas igneolos puellas ocellos,
Illos igneolos puella ocellos
Cœlis ſyderibus ſereniores?
Quid ſic turgidulos facis quid inter-
Ruptis bellulæ uocibus gemiſcis?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Regum haud lacteolas decet puellas
Flere duriter, atque amarulenter,

Regum haud blandidulas decet puellas
Singultire, dolere, lacrimari
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Omnis lætitia triumphat orbis
Exorta es quia tu uenuſta pupa
Omnis lætitia triumphat ætas,
Monſtraſti quia te tenella pupa
Omnis lætitia triumphat ordo
Ingens es quia nata pupa rege
Et tu crudula pupa uis dolere?
Et tu crudula pupa lacrumari?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Dormi corculum amoris hos ocellos
Claude blandula, claude mollicella,
Non ſunt fonticuli lacrumularum,
Non ſunt Alueoli imbrium, urnulaque,
Sed ſoles nitidique, flammeique.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Tu formoſior omnibus puellis,
Es, iſtis oculis tuis uenuſtis,
Sed cum crudula pupa lacrumaris
Tunc es turpior omnibus puellis
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Dormi delitium, ſerenitaſque,
Pectoris mea pupa, ſunt proteruæ.
Pupæ quæ ſtrepitant, malaque pupæ
Bonæ nil querulæ, ſilent, cubantque
Abſque lacrumulis, & abſque fletu
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Si claudes nitidos ſopore ocellos,
Et ſilentiolo quietiori
Tibi pectoris aura palpitabit,
Tibi tradere pupa Turturillam
Tibi Murice Pſytacum uirenti
Velo conſpicuum, uolauit aureo

Horto, qui Heſperidum, tuiſque ſyluis,
Vt tuum recinat puella nomen.
Vt tuas decoret puella cunas.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Ni claudes nitidos ſopore ocellos,
Ni ſilentiolo quietiori
Tibi pectoris aura palpitabit
Tibi tradere pupa Turturillam
Tibi murice Pſitacum virenti
Nolo conſpicuum Voraginoſo
Sed Orco dare pupa te uorandam,
Qui malas ſolet heu uorare pupas.
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Ah magis gemis ah magis reclamas,
Ah times mea pupa deuorari,
Et quis te dare pupa deuorandam
Velit, ſi es bona pupa, pupa bella,
Si mellitula tota, tota blanda
Si pulcherrima pupa pupularum
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Et quis te dare pupa deuorandam
Velit, ſi ſobol es potentioris
Regis, quem colit, & tuetur orbis
Quis te lædere pupa, ſi tot ampla
Tibi regna patent, tibique longo
Diues India pupa diſſita inter-
Vallo diuitias miniſtrat auri?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Et quis tangere te valebit audax
Quis pulchellula pupa, ſi tuarum
Terrarum vigil, aureuſque cuſtos,
Sol claris famulatur vndiq; aſtris,
Et cunas ſimul aſpicit nitentes?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Non non te dare pupa deuorandam

 Volo,

Volo, ſed dare lacteas pupillas,
Illas pupula lacteas papillas,
Quas tu dexterula ſoles tenella
Contrectare auideq; blanditerq;
Dormi bellula pupa pupa dormi.
Ah ſugis tumidas tenella mammas.
Suge lactea, ſuge paruulilla
Sed te paruula pupa grandiorem
Fac, & viſcera paſce, paſce ductus
Tuarum mea ſtella venularum
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Sis ſolatiolum patris iocoſum,
Sis dicacula, læta, blæſulanſq;
Et proterua ſimul, ſimulque blanda
Vt tantis ſinat æſtuare curis
Bellorum, quibus is laborioſam
Ducit vndiq; regiam iuuentam
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Tu matri ſimilis, magiſq; matre
Eris pupula pulcrior, puellæ
Omnes auſtriacæ tibi haud valebunt
Se conferre ſuperbulæ & decentes,
Iſabella tuo minus venuſta
Iam videbitur ore, comparari
Margarita tibi timebit, audax
Et Anna & Caterina, eriſq; grandis
Tu fœcundior hac amata pupa
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Iam multos video, augurorq; reges,
Qui te pereupiant, amentq; noctes
Tecum ducere candidas, vt orbis
Nouos ſis paritura pupa Reges,
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
O ſi viuere pupula vſque ad illum
Diem ſydera traderent benigna

Mihi,

Mihi,ut cernere ſponſulam valerem
Te, quam nunc uideo,oſculorque pupam?
O diem niueum, diem beatum
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Tunc ſuperbior omnibus puellis,
Eris regia pupa, nec uidere,
Nec cognoſcere me voles proterua,
Quæ nunc do tibi lacteas papillas,
Quæ dulces tibi canto pupa nannas
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Ah vale mala pupa, nolo nannas
Amplius tibi dicere, oſculari
Te nolo amplius, improba, inuenuſta?
Aufer dexterulam, meas quid audes
Mammas tangere? quid proterua mammas?
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Sunt mea mala pupula hæ pupilla
Sunt mea vbera, quæ proterua tangis,
Immo pupula ſunt tuæ hæ papillæ
Immo vbera, quæ proterua tangis
Suge lactea pupa, pupa ſuge
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Ah dormis bona, flebiliſque tandem.
Claudis lumina, conticeſque pulcro
Lectulo recubans bene, & decenter,
Dormias mea pupa, dormienti
Tibi lacteoli puelli amores
Aurulas agitent benigniores,
Aurulas agitent procaciores
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Ni fallor magis ore pupa pulcro
Rubeſcis, placiduſque ſomnus ore
O ſtendit genulas magis tumentes,
Accendit genulas magis rubentes,
Creſce lactea, creſce blandulilla

 Sic

Sic creſcit roſa vernulans Roſeto
Sic, & lilia pulcra vernulantes
Expandunt calices, bibuntque rores
Solis purpurei ſerenioris
Dormi bellula pupa pupa dormi.
O quali ingenuo nitore gemmans
Habet linteolo implicata vultum
Ah proſit mihi tradere oſcullulum,
Vnicum mihi tradere oſculillum
Dulce, molliculum, elegantulumque
Dormi bellula pupa, pupa dormi.
Dedi molliculum dedi, ò voluptas,
O dulcedo mea aurea, ò meum cor
Ec quis naniolam tibi iocoſam
Non cantet mea pupa? blandientes
Quis voces tibi, cantiunculaſque,
Mellitas negat, & lepore plenas?

IN ORTV SERENISS.
INFANTVLI
FEDERICI RVVERE
Vrbinatum Principis.

NAENIA.

O Quam belle puer cupitus, ò quam
Optatus populis. quibus reuoluit
Fluctus auriferos Iſaurus vndis
Quam toto ſimul expetitus orbe?
Nanna Nania non ne pupe nanna.
Non ſic lucifer expetitus Oeta
Mane purpureum diem reducens
Vt tu pupule pupulorum ocella
Expetitus ab omnibus fuiſti.
Nanna nania non ne pupe nanna.
Te naſcente puer venuſto gaudent
Omnes vndiq; pupuli, & puelli,
Te naſcente puer tenelle plaudunt
Omnes vndiq; pupula, & puella
Nanna nania non ne pupe nannas
Duces Auſoniæ venuſte pupe
Te naſcentes hilares fuere, & omnes
Feſtiuam explicuere vbique frontem
Dux tibi Allobrogum, tibiq; etruſci
Ad plauſit moderator Orbis, omen
Et Parma, & Mutina Duces ſecundum
Dixere, & Proceres ſimul Quiritum

Et gallus tibi Rex, tibiq; Iberus
Nanna nænia non ne pupe nanna.
O qua lætitia repletus, ò qua
Pater, tu quia pupe natus illi es,
O qua lætitia refuſus, ò qua
Ortus, huic quia tu venuſte pupe?
Nanna. Nænia non ne pupe nanna.
Per te conſpicuum iubar iuuentæ
Rurſus induit, & ſereniores
Dies nunc peragit magiſq; pulcros
Sibi conſpicit ire pupe ſoles.
Nanna nænia non ne pupe nanna.
Huic flectas teneros venuſte ocellos
Huic flectas placidam tenelle frontem,
Illos ebriolos venuſte ocellos,
Illam lacteolam tenelle frontem
Quæ curas abigit ſeueriores
Nanna nænia non ne pupe nanna.
Huic huic tu ſimilis puer tenelle
Eris, cum magè grandis, artibuſq;
Inſtrues animum bene, & decenter,
Factus vndiq; flos iuuenculorum.
Nanna nænia non ne pupe nanna.
Agnoſco eloquio potens vt ille
Eris blandule pupe, nam labellum
Subridet tibi melleum, tibiq;
Inſunt gratiæ, & attici lepores.
Nanna nænia non ne pupe nanna,
Ille vt conſilio valebis audax
Cum reges populoſq; vt ille fortis
Dextra cum Clypeos geres nitentes
Et enſem lateri feres minacem,
Et terga alipedum premes equorum
Nanna nænia non ne pupe nanna.
ed matri quoque flammeos ocellos

Volue

Volue blandule pupe, pupe belle,
Sed matrem quoque, cerne geſtientem
Quæ te blandidulum, dedit puellum
Nanna nania non ne pupe nanna.
Te ſolatiolum ſuum cupitum
Vocat, & lepidum ſuum leporem,
Te te delicium, ſuumq; amorem
Dicit ſpemq; animumq; corculumq;
Nanna nenia non ne pupe nanna.
Sed condas potius tuos ocellos
Pupe blandule dormiens decenter,
Sed condas potius tuos ocellos
Somno languidulo ſoporientes.
Nanna nania non ne Pupe nanna.
Pulcher lectulus en tibi paratus
Stratus murice, purpuraq, & auro.
En cuna tibi pupula undulatus,
Qui placet tibi, pellicitq; ſomnum.
Nanna nania non ne pupe nanna.
En ſomnus thalamum petit cupitum
Et tricliniolo tuo quieſcit.
Pulchellus puer eſt, puer tenellus,
Puer blandidulus, puer venuſtus.
Puer luteolos gerens cothurnos
Puer languidulos gerens amictus
Nanna nania non ne pupe nanna,
Num vis cernere pupe, num videre hunc.
Sed clauſis oculis puer videtur,
Sed clauſis oculis, venit, moratur,
Et petit pueros petit & puellas.
Nanna nania non ne pupe nanna.
Ah claudis teneros tuos ocellos
Vt ſomnum videas puelle bellum,
En ſomnus petit igneos ocellos,
Vt ſe ſe tibi deferat uidendum,

Namna nania non ne pupe namna.
Sic puer facias tenelle ſape
Illum, & luminibus tuis foueto,
Sic ſomne huc uenias tenelle ſape
Vt cunis foueas bonum puellum
Qui toto fuit expetitus orbe,
Namna nania non ne pupe namna.

BLAN-

BASIA.

Iſabellula
Pupa bellula
Me pauxillulum
Iſtis baſia
Labellis tuis,
Me pauxillulum
Iſtis roridis
Roſis, quid facis
Meum cerculum?
Quid uenuſtula
Mi columbula?
Quid ocellule
Mi pulchelule?
Da mi baſium,
Vnum non ſatis,
Non ſatis duo,
Non ſatis tria,
Centum baſia
Pange mollia
Centum baſia
Pange mellea,
Nec centum ſatis
Horum ſed mihi
Mille, dein mihi
Mille & altera
Mille, ut non queam
Enumerarier,
O quam dulcia,
Quam ſuauia.
Cor mi ſubtrahunt
O mi pupula,

Cor mi ſurp huni
o pupillula
Pupa bellula,
Pupa blandula,
Pupa lactea;
Elegantula,
Cicinnatula;
Delicatula,
Mollicellula
Iſabellula.

NE-

NEQVITIAE.

Bella pupula,
Quid ſic pupulis
Pupillas mihi?
Belle ocellule
Quid ocellulis
Sic rides mihi?
Quid ſic fletitas?
Quid ſic luſitas?
Conde ocellulos
Iſtos bellulos,
Conde pupulas
Iſtas pupula,
Cor mi ſauciant
Iſti ocelluli,
Cor mi diuidunt
Iſta pupula,
Mala pupula,
Mali ocelluli,
Et lacrimula
Sed quis uos malas
Dicat quis uelit
Vos abſcondier?
O roridula
Margaritula,
Quis lacrimula.
Quis uos lacrima?
Bella lacrima
Bella guttula,
Bella gemmula;
Bella lumina,
Belli ocelluli
Bella ſtellula,
Bella pupula.

LA-

LABELLA

O Labellula
Mollicellula
Quis ſic ignea
Quis ſic reddidit?
Purpuritula
Vos? nam baſia?
At quis baſia
Vobis pangere
Auſus? ſunt mea
Hac labellula
Mollicellula,
Mihi diuiter
Hac coralliunt,
Mihi diuitier
Hac conchiliunt.
Ah ne tangere,
Ne quis audeat
Hac labellula
Mollicellula,
Purpuritula.

CINCINNI

Qvis cincinnulos,
Iſtos tortiles
Tibi lux mea
Compſit? quis tibi
Fronte criſpulos
Pupa reddidit?
O quam belluli,
Quam elegantuli,
Quam tenelluli.
Iſte lucidus
Eſt Anellulus,
Qui auro perlitus
Fulget, paruula
Solum gemmula
Deeſt illius
Clauſa Orbiculo,
Nec deeſt; ſibi
Ipſe eſt gemmula
Atq; nellulus:
Ille gratior,
Eſt, qui pendulus
Laſciuit tibi,
Flauuſq, vndulat
Frontis margine
Tua lacteo,
Sic Hyacintulus
Cencinnatulas
Exerit comas
Mane rorido,
Ille mollior
Et qui vagulus
Summo vertice

Aure-

Aureſcit tibi
Molli ſloculo,
Et ſuperbiens
Supereminet,
Delicatula
Non ſic plumula
Eſt columbola,
Cum reflectitur
Ad ſolis iubar,
Cum torquatula
Collumbillat ad
Ictus lucidos,
Non ſic lux mea
Molles ſetula
Sunt lepuſculi,
Cum auritulus
Totus emicat,
O quot orbibus
Hyacinthinis,
Elegantulis,
O quot nexibus
Aureis ſimul
Se ſe uinciunt,
O quam blanduli,
Quam ſunt criſpuli
Quam decentuli
Quam uenuſtuli
Hi cinciunuli.

MC